Legenda

unea

ARCTOS SARMATICA.

QVÆ

GENEROSÆ IVVENTVTI ACADEMICÆ

PRIMAM

In artibus liberalibus & Philosophia

LAVREAM

IN AVLA DIVI IAGELONIS

Anno Domini, 1638. Mens. Mart.

Die Hora

CAPESSENTI,

AB


ALBERTO SAMBORSKI,

eiusdem laureæ Candidato

MONSTRATVR.

CRACOVIÆ, In Officina Stanislai Bertutowic.

IN STEMMA ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



QVem Sceptris Lechi regniq; Curulibus altis
Fœdifragum, dederant Gallica regna, virum.
Henricus dicebat Rex, DVO PROTEGIT VNVS,
Lemmata periuri ô male falsa Viri!
Hæc tua laus MATER, tibi dum duo Sceptra videmus
Scribimus, æternùm quod tegis vna duo.
Ast en innumeris donas tua præmia Natis,
Innumeros igitur PROTEGIS VNA Parens.

Albertus Bariczka Stud: Pòës.

ARCTOS POLONA.

EHeu, marinæ quanta proteruiæ
Ditis furenti turbine concita
Procella ſæuit! quot Charybdes,
Quot rabidæ patuêre Scyllę.
Per alta mundi climata! peſtilens
Rurſumné fluctu concutit æquora
Corus, dehiſcens & rapaces
Oceanus glomerat furores?
Rurſum fidelis gurgite Carpathi
Proteus locatus; flumine præpeti
Natante damâ coget altis
Culminibus reſidere Phocas?
En nubiloſis turbida vultibus
Se multiformi nox animat lue,
Rapitq́; lucem tramitesq́;
Quà iuuenum generoſa turba
Excelſiores ſydereæ petat
Virtutis ædes; nube volantium
Tegit voluptátum, Stygiſq;
Lucifugæ tenebris obarmat.
Ergon' procaci robore fortior
Vaſtabit electæ indolis incitos
Auſus? nec illam ſub cauernis
Cimmerijs generata nubes,

Serenioris lumina Cynthij
Adire mittet? ſiccine nubilus
In mentibus regnabit error,
Nec Sophiæ celebres triumphos
Orbis videbit? non ſapientia
Victrix coruſcis vecta curulibus,
Tenella cæleſti iuuentæ
Corda piæ, recreabit ore?
Vos Candidati vos melioribus
Prognata fatis progenuit dies
Quibus beatâ luce diues,
Splendet iter bene luminatum.
Millena non ſi fulmina detonent
Non ſi furentes Æolię minæ
Crepent, eâ fulgente ſtella
Inſtabilem metuetis orbem.
Planeta ſi quis lumina deneget
Vobis, ſed omni ſydere pulchrior
Lucem dat ARCTOS quę eſt Polono
Fixa polo meliore fato.
Quid? an recuruos non bene dirigit
Flexus viarum hæc ſtella? laboribus
Supponitis cum terga duris
Illecebras fugitis inanes.

Vos

Vos lumen auri, vos iuga lubricæ
Spreuistis aulæ, quæ modò prospero
Etesiarum tuta flatu
Æquora cæpta spei pererrat.
Rursum fugaci si placuit Deæ,
Bene ominatas turbine diruit
Spes atq; curas: sic negata
Offa coquit vigiles Molossos.
At quàm Camænis iuncta sodalibus,
Germana recti candida veritas,
Et quæ nitescit non dolosis
Luminibus sine labe virtus
Vestras pudicis vrit amoribus
Fibras, & almis ignibus afficit
Ad laureatas atq; Pompas
Præcipiti iubet ire Cliuo.
Vos arctiori pectora vinculo
Magnæ alligatis Matri Academiæ
Non erubescendam fidemq;
Connubio stabili dicatis.
Nec pœnitebit: scilicet hac diu
Fulgebit ardens, vester honos domo
Ad vsq; solis fulgurantis
Inuidiam, niueæq; Phœbes.

Hîc doctioris laurea verticis
Vestro nitescens lumine, laureas
Vincet Virorum, quos coërcet
Sequana non tacito fluento.
Immò & vetusti dogmata seculi,
Labore vestro orbis reuirescere
Gaudebit, olim & restitutam
Hellada Sarmatiæ putabit.
Orator Vrbis prodeat Atticæ
Obliuionis nescius infimæ,
Mirabitur vos, qui Pelasgum
Terruit eloquio Dynastam.
Et suauiori qui cecinit sono,
Nutritus ipso lacte scientiæ,
Platoq́; miraretur amplis
Muneribus celebris Thaliæ.
Si de Quirinis clarior vrbibus,
Prægrande Suadæ Romuleæ decus,
Et melleæ flumen loquelæ
Surgat humo repetatq́; rostra;
Cunctos inassuetus rapiet stupor,
Arcana causarum penetralia
Dum vos recludetis, periti
Eloquij, dubiosq́; sensus.

Tunc

Tunc fama, claro nominis essedo,
Laboriosi vos iubar agminis
Seu quà colonis Phæbus ardens
Dissimiles tribuit colores.
Seu quà beati Climatis incola
Candore claras exsuperat niues
Portabit, exemplum & nepoti
In studijs dabit exprimendum.
Insculpta vestrûm deniq; nomina
Virtus reponet, sydere nec suo
Tersos sub vngui linquet escam
Dente necis rabido vorandam.

Andreæ

ANDREÆ WOLPHOWICZ.

SArmatiam quæcunq; ratis ſulcauit aquoſam,
Arctos non vnquam viderat illa duas.
Scilicet Europæ lucem Cynoſura miniſtrat:
Aſt Helicem oppoſitam Graia carina notat.
Soli bina tibi WOLPHOWICZ ſplendicat Arctos,
Ad freta Muſarum dum tua vela paras.
Præceptis tibi namq; vias Academia Mater
Monſtrat, maioris nomine digna poli.
Et natum PATER exemplis informat honeſtis,
Dicier & ſydus ſed minus inde poteſt.
Vna illi micuit: Curſum tamen ille peregit
Rectè: quid facies ſit tibi bina nitet?

GEORGIO PIECHOWICZ ZAMOSC.

HOſpes Roſsiacis vt venit Phæbus ab oris,
Luſtrauitq; Virûm mænia Craciadum.
Te quoq; PIECHOWICZ noſtræ prenſare Parentis
Lauros conſpicuas, vidit, & erubuit.
Atq; ait, ergo tuo capiti Zamoſcia Muſa
Non vllas lauros repperijſſe poteſt?
Olli Craciadum doctiſsima Clio reponit
Cur non Piechowic Laurea noſtra datur?
Lauros de Cracijs Muſæ carpsêre Zamoſcæ,
Cur non de Cracijs huic quoq; Laurus eat?

Roſſa

Rossa hinc Musa bibit Sophiam; cur non bibat ille?
Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

STANISLAO IARZYNA.

PErge tuis magnum factis implere IACOBVM
Cælica quem Patruum fata dedere tibi.
Ille etiam Campo quondam sudauit in isto,
Nunc aliter Campo sudat at ille Nouo.
Te tamen emensâ postquam decessit arenâ,
Deposcit proprias rite subire vices.
Non nego, celsa suæ est virtutis scala; quid inde?
Iacobi in sacris celsior illa fuit.
Quàm multi tamen illius tenuêre suprema?
Infima sed graduum qui tenuere prius.
Sic tu dum Patrui magnos sectaris honores,
Vt suprema habeas infima prende prius.

ALBERTO ORLOWSKI.

MVsæ delicium, iubarq; Phæbi,
Cui dat nobile fulminis Minister
Nomen: omnibus altior Pygargis,
Non pigri vegeto ingenij volatu
Surge, & doctiloquam reuise Cirrham.
En Mater nitidi ferax honesti
Artis lumina dat tibi tuenda.
Surge & indolis excita venustæ
Nixus, ô iuuenis beatiores.

Prompto & lumine lumen intuere.
Tunc Vrbes, populos pigros relinquens,
Famæ tergore confidens, volabis
Inter fydera fplendicantis orbis,
Nomen atq; aquilæ tenebis aptum.

PAVLO SCROBOCKI.

CAstaliȩ nauem Craciæ concredis anhelam
Laudo fagacem fpiritum
Palladios & aues Nautas comitarier: iftam
Exofculor prudentiam.
Non alio mihi crede loco Rhamnufidis aura,
Sefe explicat fauentius.
Petrus dicturus leges, à pifcibus, orbi,
Chrifto vocante prodijt.

ANDREÆ NICIO.

TE quando comitem plebeia turba colebat,
Ignotus fueras pænè & inane nihil.
At nunc dum fophiæ fidus vis effe fodalis,
Incipis effe aliquid, definis effe nihil.
Imo homo. folus homo fapiens benè quippe vocatur,
Dicitur at merito vulgus inane nihil.
Ergo Romanum, ô NICI faufte, Parenti,
Hic fiunt homines, nobile lemma dato.

MAT-

Matthiæ Iurkowic.

TOtus dum recipit virentiores
Orbis, ſole nouo nitente vultus,
Flore terraq; ſe tegit recenti.
Tollis tu quoq; promptus altiores
Vultus; atque nouum æmularis orbem,
Namq; vertice laurus euireſcit.
I felix, bone, tam diu vireſcas
Mundi machina quam diu vireſcet.

Andreæ Tlustowski.

AGricolis pinguis conſueuit gleba placere:
Nam nouit dominos exhilarare ſuos.
A Muſis genius verum non pinguis amatur,
Neſcit enim Dominas exhilarare ſuas.
Tu, ſi pinguis ineſt genius, macerare memento,
Non adit Aoniam pinguis Aqualiculus.
In tectis etenim Phæbeæ & limine turbæ,
Continet exiguas ianua ſtricta fores.

Andreæ Stephanski.

ET quà piſcoſas Tyberis protrudit arenas,
Et quà deproperat Bætis ad Oceanum,

Et quà Neptuno celeri dat fonte tributa
Rhenus, vidisti, quaq; Garumna fluit.
At tamen en, natale solum quandoq; recepit
Te, lauri memorem fecit & esse sui.
Patria terra etenim, si terrâ dulcior omni est;
Dulcior ex omni Patria laurus erit.

ANDREÆ ROLSKI.

ECquid id est? patrium sumis cognomen, ab agro?
Pande quis iste tui nominis auctor ager?
Namq; alijs lolium, & steriles dominantur auenæ,
Ast alijs messis culta virescit agris.
Crede igitur, culto si nomen ducis ab agro;
Fiet ab Aonio cultior ille solo.
Sin sterili, doctum cultorem quiq; requirat,
Est cultrix agri Musa perita Craci.

BARTHOLOMÆO MACHONIEWICZ.

EST inimica altis sors. Viribus Herculis Antæus
Disperijt; Siculis Enceladusq; iugis.
Gerion Antæo similis, Briareus ad Orci
Limina stat, fulmen pertimuitq; Mimas.
At tua, dum doctâ cinguntur, tempora, lauro,
Largiùs an poterunt fata fauere tibi?
Accelera, sed adhuc plenis velisq; labora,
Magna vt sint pariter, corpus, & ingenium.

Ioanni

IOANNI GORELSKI VSTIEN.

OMine felici in lucem procedis apertam,
Eq́; manu Matris laurea serta capis.
O fortunatam Patriam, quæ fulgida tantos
Ad Craciæ lauros, scit generare viros.
Sed magè laudandam, toties quæ donat honores
Laurigeros, Clarium suppeditatq́; iubar.
Nō mirū. Nam MATER ea est mare: nūquid ab isto
Gurgite, gemma Lechis non numerosa fluit?

SIMONI KOTECKI.

IN pelagus Clariâ, Phæbi quod, puppe secatur,
Ingenij ducis vela ratemq́; tui.
Tuta via est, procede, bonis atq; vtere fatis,
Fortunentq́; tuas astra benigna vias.
Nullū hic naufragium metuendū, nulla Charybdis.
Vnda tamen solos obruit ista pigros.
O rarus gurges Phæbei fluminis! in quo
Pigrities mors est, at labor vna salus.

IOANNI CHOLEWSKI.

QVÆ nouies Manes Orci intersusa coërcet
Integra, sulfureo Nais odore scatet.
Porrò, quas Lechis felix excusserat olim
Vngula, Sarmatici Bellerophontis, aquas.

Non

Non illas tetrâ populatur ſorde Mephitis,
Eſt etenim doctæ melleus amnis aquæ.
Sed cur? (ſollicitá toties tu, mente reuolue.)
Hæ vitium capiunt ni moueantur aquæ.

Alberto Walkowic Vstien.

CAſtaliæ latices puros tua nauis oberrat,
Puram igitur nauem conuenit eſſe tuam.
Si fortuna tuo vanos ſub corde fauores
Spirat, & emollit pectora blanditijs;
Filia ſi Ditis reſidet ſub mente voluptas,
Ocyus eripe te, ſubtrahe teq́; neci.
Eijcit illecebris ſolers hæc vnda fluentes:
Inuiſum æquoreis quippe cadauer aquis.

Pavlo Przytvlowic Vstien.

NVnc perfecta nitet, nunc dimidiata refulget
Cynthia, nunc noctes falcis ad inſtar obit.
Inſtabilis non luna fuit, ſeu ſi fuit vnquam,
Conſtans promebat Patria veſtra iubar.
Semper enim genuit generosâ mente iuuentam,
Quæ genij pariter lumine clara fuit.
Perge igitur. Nam turpe futurũ eſt, Cynthia per te
Si quæ plena fuit, dimidiata ſiet.

Ad

Ad Admo: Reuer. & Excellen. Dnum

M. PAVLVM HERCIVM MATHESEOS ORDINARIVM PROFESSOREM, & ARTISTICÆ FACVLTATIS DECANVM LONGE dignissimum

ODE.

NEc te ô Columen grãde Matheseos;
Qui quæsita senis clausa Syracusi
Docta mente pererras,
Nostrum prætereat metrum.
Te miti Tyberis vortice defluens,
Oris Sarmaticis vidit vt hospitem,
Mirabatur & ampli
Gurges subsilijt vadi.
Tu, quam perpetuo noctiuagæ faces
Portant dona sui tramite luminis,
Firmo cernere nosti
Magni lumine pectoris.
Tu, cur Vrsa nitens, vna nitoribus
Claris nos recreat, torpet at altera
Nec dignatur amænos
Vultus tollere celsius;

Scis

Scis cur flauicomis Cynthia cornibus
Nunc diſſecta iubar dimidium iacit,
Poſt hac pulchra colorat
Pleno corpore climata;
Et cur candiduli lumen Apollinis
Nunc noſtras propius vergit ad orbitas,
Rurſum luce remotâ
Frigus non ſuperat ferum.
O felix igitur vos comitum cohors
Iſto ſi properas calle fidelior
Quo hic tendebat Achilles,
Phæbi prendere laureas.
Sed nec ſors renitet deterior tibi
Cui perfecta Decas nomina texuit
HERCI. gloria noſtræ
Lauri, ſplendor & ordinis.
Quiſquis namq; tuis auſpicijs petit
Poni dona, ſuo vertice, laurea.
Te per metra vocabit
MATRIS ſydus amabile.
Et non paruus ego carminis ardui
Viuam, quo tua dem nomina gloriæ,
Atq; vnum geminabo
LONGIS VIVITO SECVLIS.

e,

